



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-569876-p0001-2

DFG



DEO TRIN-UNO Duce!  
DISPUTATIO  
PHYSICO-MEDICA  
PRIOR  
*DE*  
**URINIS.**

07  
32

*Quam*  
In Illustri VVittebergensi Academia

Sub PRÆSIDIO

*Viri Excellentissimi atque Experientissimi*

**DN. MARCI BANZERI AU-**  
GUSTANI MED. DOCT. P. P. & FACULT.  
SENIOR. & p. t. DECANI SPECTABILIS,  
Dn. Hofpitis, Præceptoris atque Promotoris sui omni obser-  
vantia atatem suspiciendi.

*placide & suavitudo subjicit*

**CHRISTIANUS BUCKISIUS**  
Carnoviæ Silesiæ.

*AD D. XX. Octobr.*

*H. L. Q. C.*

---

*WITTEBERGÆ.*

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.  
*ANNO M. DC. XLIX.*

*65.*





15. JULY 1821.

15 JULY 1821.



I. N. J.

*Proæmium.*

Ulamvis si in latissimos Medicinæ campos, ejusque amœnissima Viridaria cuiquam expatiari libeat; plurima ut nobilissima, ita & jucundissima contemplatione sese oblatura sint: Placuit tamen impræsentiarum materiam de Urinis præ aliis seligere. Licet enim inutilis, abjecta immo & sordida ac proinde indigna, de qua in Scholis publicè disputetur, illa ipsa alicui videri queat; & Plinius Urinarum considerationem ad superstitiones potius, quam naturales Medicos pertinere affirmaverit: Quintus vero authore Galeno 3. de Sanit. cap. ult., earundem notitiam adeo pârvi fecerit, ut ad fullones relegare non dubitaverit, atque hinc nasutos Sycophantas, qui falsè hanc nostram operam risuri sint, haut defuturos sciamus; tamen si res paulò æquius & citra invidiam pensitetur, meridiana luce clarius adparebit, nulli eam Medicæ artis materiae aut contemplationum pulcritudine, aut docti inæ ubertate, aut controversiarum difficultate, aut denique perceptionis utilitate facile cedere. Et haud præter rationem quis illud Aristot. i. de part. animal. cap. 5. de animalibus in genere prolatum huc accommodare posse, quod scilicet nulla res Naturæ conspi ciatur, quæ non mirandum aliquid inditum habeat, adeo ut etiam ea, quæ minus grata sensibus sese nostris offerunt; nihilominus tamen

A 2 *etiam* *etiam* *etorum*

eorum animos mirificè oblectent, qui causas norunt, ingenuęq; philosophantur. Proinde etiam Gallorum Medicus celeberrimus Joubertus dixisse fertur, Historiam de Urinis instar immensi pelagi esse usum & exercitationem insignem requirentis, non quidem solum ob sui amplitudinem, sed & ob scopulorum multitudinem, in quos etiam peritissimi quique facile impingere queant. Utilitatem autem hujus tractationis exinde facilè videre est, quod Urinarum cognitio ac inspectio tūm in sanitatis tum ægritudinis statu maximum habeat usum, ut in operæ progressu manifestum fiet. Ob id etiam plerique Veterum & Recentiorum Medicorum in Doctrina hac tradenda & commendanda adeò diligentes & copiosi fuerunt. Ad horum itaque exemplum & monitum, quod Deus felix & faustum esse jubeat, Nos in Philaretor gratiam, hanc de Urinis Materiam hoc temporis conscribere & ad disputandum proponere voluimus. Ut autem certo & convenienti ordine ac methodo, suscepta à nobis de Urinis disquisitio constet, in quatuor generalia illam distribuere libet membra. In horum primò Urinæ Essentiam declarabimus. In secundo Urinarum Differentias proponemus. In tertio earundem Causas explicabimus: Et denique in quarto Præfigia seu Judicia Urinarum pertractabimus. Cum autem satis ampla & diffusa hæc sit materia, placuit hac vice solum priora duo ejus capita, reliquis posterioribus in aliud tempus reservatis, ad evaginatō vocare.

#### THESIS I.

**P**RIMÒ ergo omnium Urina quid sit explicaturi, ab ejus nomine merito tractationis initium sumimus. Vocatur autem

tem eadem Græcis ὥηρ seu ἥηνα, licet ἥηνατο voce neque Hippocr. neque ullum ex antiquis Scriptoribus usum fuisse, Galenus Comm. 2. in Libr. Hippocr. de nat. Hom. testetur. Et quamvis hoc vocabulum in hoc ipso Hippocr. Libro circa finem occurrat; tamen pro adjectitiis & non genuinis Hippocratis Galenus illa habet. Aristoteles etiam, uti in Histor. Anim. & Libr. de part. Anim. legere est, variis nominibus urinam designavit, quæ ibi curiosus Lector inquirere poterit. Latini Urinam, à Græca dubio procul nomenclatura, (ἥηνα namque Græcis idem, quod Romanis mejo seu urinam reddo est) indigitant. Lotium vero etiam iisdem denominatum putatur, à supino Lotum, quod sit quasi totius corporis lotio. Verum quibus nominibus Urina insigniatur, aut unde denominationem suam fortita fuerit, non adeo multum refert, modo quidem illa ipsa sit, probè perspectum habeamus, quod in sequentibus clarum facere studebimus.

Thef. II.

Est autem Urina excrementum secundæ Concoctionis aquosum sero cocto & quoddammodo quasi adusto permixtum ex potulenta potissimum liquidaque materia à facultate naturali ad faciliorem alimenti & sanguinis distributionem genitum, superfluaque sui portione vi renum attractrice ob ejusdem sanguinis depurationem tam ex arteriis, quam venis segregatum indeq; per Ureteras ad vesicam urinariam amandatum & suo tempore excretum.

Thef. III.

Datam præcedenti thesi Urinæ definitionem seu descriptionem causalem jam membratim methodo analytica explicare animus est. Primò ergo Urinam esse excrementum, quod scilicet genus & formæ loco ponitur, nemini dubium esse debet, cum ob suam substantiam à corpore nostro alienam & ad nutriendum ineptam, à natura in alimentum converti non potuerit. Hinc partium in id destinatarum beneficio à purioris alimenti & sanguinis portione secernitur, tandemque plane è corpore excernitur.

A 3

Thef. IV.



Theſ. IV.

Secundæ autem potius, quam primæ aut tertiaræ Conectionis excrementum Urinam affirmamus, ut ut materia ejus prima ac remota in ventriculo etiam reperiatur, & naturæ ad chylum in viscera & ulterius per venas transferendum inseriat, Urina etiam suum nomen atque formam in renibus demum proprie acquirat. 1. Quia Urinæ materia in secunda demum coctione ab utili secernitur. 2. Quia Urina non solum ex aquoso sed & seroso sangvinis excremente, ut jam dicetur, constat. 3. Quia Urina sangvinis & venosi generis index est. 4. denique quia Urinæ receptacula, renes scilicet, urereres atq; vesica; officinæ secundæ non primæ coctionis annexa & vicina existunt. Atque hoc de forma & de loco generationis Urinæ dicta sunt.

Theſ. V.

Materiam quod spectat, dicimus Urinam excrementum aquosum sero permixtum. Fluidam & aquosam Urinæ substantiam præter sensum & materia ex qua generatur, demonstrat. Aquosæ namque huic in Urina Substantiæ materiam suppeditant potus imprimis, & præterea etiam reliqua liquida & humida assumta, quatenus ad nutriendum sunt inepta, Hinc pleraque animalium, quæ frequenter & multum bibunt, neque potum nutrimenti causa hauriunt, ipsiusvè materiam in pennas, squamas, cortices aliavè absument & convertunt, vesica donata sunt, urinamque excernunt: Contra eàdem destituuntur, quæ nunquam aut parum bibunt, ut ex Philoso pho 5. part. animal: c.g. colligere est. Præterea cum urina sit excrementum tenui & aquosum, dubio procul & ex tali materia generabitur. Qualis namque materia, tale & materialium: Tertiò idem etiam comprobatur, quod urina ad potus mutationem & quantitatis & qualitatis ratione mutetur. Proinde bibones maximam urinæ copiam profundunt, & quandoque propemodum nihil à potu alteratam. Imprimis vero vina tenuia & penetrabilia, aquasque medicatas diureticæ sive naturæ, sive artificiales, celeriter ad vesicam migrare cernimus. Fernel. 6. Path. cap. 13. novisse se quendam scri-

scriptum reliquit, qui quotidie horæ spatio tēpentis aquæ  
medicatæ  $\text{lib. XVI}$  sumserit, totamque protinus iterum qua-  
lem hausit, eminxerit. Ob id etiam Medici in Urinæ sup-  
pressione à potu præsertim copiose abstinere sudent.  
Idem etiam autoritate Galeni confirmari potest, si quidem  
is i. o. Simpl. de sudore expresse scribit, Urinam & sudorem  
eandem habere materiam, & utramque constare ex bibito  
humore. Et i. de nat. fac. c. ult. totum id quod bibimus n-  
rinam fieri docet, præter id quod cum alvo exiit, aut in sudo-  
rem aut per invisibilem perspirationem abiit. Quamvis  
etiam potulenta aut alia liquida accepta, si alendi vim ha-  
beant, etiam ipsorum quantitati in urina multum decedat.

Thes. VI.

Præter aqueam & potulentam autem materiam Urinam  
quoq; hominis sani naturaliter simul  $\text{ex}$  sangvinis sero cōsta-  
re, itidem Rationibus, Experientia & authoritatibus confir-  
mari potest. Primo namq; reperiuntur animalia veluti cuni-  
culi, quæ nunquam vel taro bibunt, & tamen mingunt. Sic  
quoque fœus in utero materno hanc potu uritur, & tamen u-  
rinam colligit. Sic Galenus notavit, urinam adolescenti  
cuidam ad heminas quatuor seu  $\text{lib. iij}$  exiisse, qui tamen tri-  
bus diebus neque cibum neque potum sumserit. Et non ra-  
ro in morbis magna urinæ quantitas, citra copiosi potus as-  
sumptionem, excernitur. Præterea & diuretica quandoque  
insignem lotii copiam proliciunt. Et si solus potus urinæ  
materia esset, de tot corporis affectibus viscerumquæ conco-  
ctionibus ex urina judicare non licet. Necesse itaque est,  
ut urinæ materia proxima cum visceribus eorumque vasis &  
sangvificatione aliquam cognitionem seu communicatio-  
nem obtineat. Aqua namque aut purus putus humor aquo-  
sus per coctionem solam incrassari talemque substantiam &  
reliqna qualitates, quas urina habet, consequi nequit, nisi  
quid aliud eidem permisceatur. Insuper si urinarum effe-  
ctus & Chymicorum resolutiones attēdamus, aliud quid præ-  
ter aquosum aut potulentum solū excrementum illas esse  
facile patebit, & quidem etiam illorum, qui solā aquā potus

locos



loco utuntur. Lotia siquidem validè extergunt, ex iisdem varia salium genera eliciuntur & præparantur, docente etiam Diosc lib 2.c.24. Borax, nitrum, Sal Ammoniacus insigni extergendi vi prædita, urinam ad sui confectionem requirunt. Hinc etiam Galenus 1. Epid. Com. 1. t.5. Urinam serum humorum in venis contentorum pronunciavit. Et Ruffus Ephes. de appellat. corp. c.36. Urinam nitrosum humorem in vesicam delabentem dixit. Valles de Urin. c.1. & 2. statuit, Urinam constare duplici substantia; Aquosa & sero sanguinis, & si quid præter hoc aliud in ea contineatur. In Urinis namque etiam contenta cum naturalia tum etiam præternaturalia quandoque reperiuntur, aut etiam iisdem humores extranei aut res aliae p. n. permiscentur, de quibus suo loco.

Thes. VII.

Si autem quæris, quid sit illud serum aut serosum excrementum Urinæ substantiam simul constituens ac complens. Respondeatur nil esse aliud nisi sale in cibo & potu superfluum alendoq; corpori nostro inutilem, cuius partem nonnullam Spagyrici Tartarum, ob cognitionem, quam cum vini tartaro habet, appellant. Cum namque sale non modo pro condimento utamur, sed & in omnibus alimentis aliquid Salis reperiatur, id quod superfluum post sanguinis generationem per urinam emittitur. Ut autem sal seu serum istud debito modo tingat necesse est, ut sit coctum & quodammodo adustum, quale illud in Lixivio è cinere parato. Hoc enim solum urinam tingendi vim habet. Hinc non raro videre est, urinas multum salsas & acres dysuriāmq; causantes, à salsa pituita provientes, quæ tamen albæ & crudæ, neque flavitinctæ. Sed de hoc pluribus in posteriori Disputatione.

Thes. VIII.

Cæterum cum lotium quandoque & medicamenti vices subeat, haud præter rem & in temperamentum ejusdem inquiritur. Verum ob partes illius heterogeneas in diversas quo ad hoc abiere Authores sententias, dum alii illud frigidum, alii vero calidum, alii humidum, alii siccum judicant. Arist 4.meteor.c.m.10. lotium inter aquæ species refert; unde

ex



ex ejus sententia erit frigidum. Contra Galenus 10. Simpl. cap. 14. etsi in urinis æq; ac in bile pro varietate Animalium sit diversitas, tamen omnes calidas pronuntiat. Plus tamen animalium calidiorum, minus vero frigidorum. Interim lotium aquosarum partium ratione refrigerare & humectare, serosarum vero calefacere & siccare extra controversiam est. Prout de his vel illis magis minus vè participat, pro eo etiam calidum & siccum vel frigidum & humidum atque vel magis vel minus pronunciandum erit. Plerumquè tamen, ob seri admixtionem, in lotio caliditatem & siccitatem præcellere dixerim. Hinc ipse etiam Aristot eod. libr. meteor. ait, quæ aquosæ sunt naturæ, frigida ut plurimum esse omnia, nisi alie nam & adventitiam habeant caliditatem, veluti urina, lixivium, &c.

Thef. IX.

Sed jam & causam efficientem Urinæ proponere ordinis ratio exposcit. Illa autem duplex est: Principalis & Ministrans; ceu Generans & Secernens. Prior est Facultas naturalis residens in hepate & Liene, quæ ut reliquorum & humorum, qui in secunda concoctione producuntur, opifex est, ita & serosi humoris. Cum enim dictis in visceribus ex chymo, partes ob suas heterogeneas, diversi humores generentur, ad nutriendum horum inepti Naturæ benesicio separantur, adquæ sua receptacula singuli ablegantur. Inter quos urina ad renes amandata meritò etiam connumeratur.

Thef. X.

Generanti seu principali causæ ministrat causa secernens, quæ organis Urinæ excretioni destinatis suam operam perficit; hæcque trium sunt genera; Attrahentia scilicet, Transmittentia, & Expellentia.

Thef. XI.

Attrahentia Instrumenta Renes sunt, qui materiam Urinæ per venas & arterias emulgentes ab officio hoc dictas naturaliter ad se alliciunt. Urinam namque à renibus trahi & Hippocr. libr. de Ossib. aperte docuit; & Galen. i. de nat. facult. 15. egregiè confirmavit. Nec enim sua sponte ad renes

B

fertur,



fertur, quia ratio nulla dari potest, cur cum non potius alias ad partes quam renes deferretur. Nec a vasorum facultate expultrice sola ad renes protruditur. 1. Quoniam tunc necesse esset vasa constringi, atque sic sanguinem plurimum simul etiam ad renes propelli. 2. Hac ratione satius fuisset, naturam renes venæ cavæ & arteriæ magnæ recti subjecisse, quam ad latera collocaisse. 3. Præterea in reliquias omnes venas crurales & iliacas non secus ac in emulgentes fieret urinæ expulsio, imo in has, utpote inferiores & decliviores potius, quam illas. Sed neque successione & fuga vacui, ut Eralistrati opinio ferebat, urina ad renes pervenit, quod sic nemo ex Ischuria periret. Quod vero Heraclitum & Asclepiadem attinet, qui autumabant potum omnem in vapores & halitus mutari, & vesicam penetrando ibidem concrescere, inquit urinam abire. Cum hæc opinio nimis sit absurdæ & ridicula, & jam dudum è Scholis explosa, atque à Galeno solidè refutata, actum agere nolumus. Interim alia est ratio, quando natura sagax per motum criticum, aut alias in statu p. n. seu morbose serum aliquos hu- mores noxios, quandoquæ & pus, ut in pleuriticis aliquando videre licuit, ad has vias protrudendo expellit.

### Thes. XII.

Transmittentia seu Deferentia Urinæ instrumenta Ureteres sunt, qui eam ex renibus tanquam canales excipiunt, & ad vesicam devehunt, ac veluti in cisternam aliquam profundunt. Expellentia vero Organa duplia existunt: Primaria & Adjuvantia. Illius generis est vesica cum musculo, Sphincter dicto; Hujus vero musculi abdominis. Siquidem hi in ventrem & hinc vesicam simul constringendo, non parum etiam urinæ excretionem adjuvant.

### Thes. XIII.

Interim non modò è venis sed & arteriis renes serum emulgent, quia & arteriosus sanguis sero dilutus est, quod jau-psiæ ipsa monstrat, & ratio etiam svadet. Cum arteriosus sanguis ex venoso ortum ducatur, & ille sequè ac hic angustissima vasa

vasa permeare necesse habeat. Imo & amplissimam in renes infusa arteria idem evineat.

Thes. XIV.

Demum in lotio & finis seu usus attendendus. Is autem duplex videtur; Unus Generationis; Alter Secretionis. Ille in eo potissimum consistit, ut beneficio hujus aquae ac serosi liquoris chymus ac sanguis dilutus attenuatusque eodem commodius & facilius undique per vasa etiam minima & angustissima permeare ac in corpus distribui queat. Proinde haut praeter rationem Hippocratis liber suum de Alimi his clausit verbis: οὐ γεοι τρέποντος οξυα, humiditas alimenti vehiculum est. Hic vero quod scilicet renes maximam ejusdem liquoris partem ad se attificant & ad vesicam, unde postmodum ex corpore expellitur, ablegent; eodem inservient, ut sanguis ab hoc excremento ad nutriendum inhabili aliquantum repurgetur. Sufficit enim ejus tantum in vasis reliquise, quantum ad distributionem sanguinis requiritur.

Thes. XV.

Arque tantum de Urinæ essentia, ejusque definitione. Cum autem in urina non solum ipse liquor, sed & in eodem contenta vulgo dicta à Medicis in considerationem trahantur, & nos illorum filium sequi haut abs refuerimus. In genere vero omne illud contenti nomine venit, quicquid praeter ipsum urinæ liquorem ejusque accidentia in eodem corpulentum aut visibile occurrit & conspicitur. Distinguunt autem hæc contenta in Essentialia & Accidentalia. Essentialia sunt, quæ semper aut certè ut plurimum in sanorum, magna etiam ex parte agrorum urinis adparent. Accidentalia vero sunt, quæ nequæ semper, nequæ frequenter & potius aegrotantium quam benevolentium in urinis sese offerunt conspi cienda.

Thes. XVI.

Essentialia & propriæ atque natæ ēξοχæ ita dicta, ratione situs seu loci, quo in urina hærent, triplicia existunt: ~~τριπλεῖς~~ seu sedimentum: ~~καταγεννα~~ sublimamentum: & ~~Νεφέλην~~ nubes: ~~καὶ αὐτοὶ~~ superius boup, hi turbati, qui subiunguntur.



cula. Altitudo enim corporis Urinæ totius in tres quasi partes dividi solet, in fundum seu imam matulæ regionem; in supremam, & inter has medium. Sedimentum igitur seu subsiden-  
tia est, quod in urinis versus fundum descendit & in urina sub-  
sidet. *crux genua*, suspensio, seu sublimamentum, quod in me-  
dia Urinæ parte continetur, & in medio ac ab utroque extremo  
æqualiter remotum quasi suspenditur. Nubes seu Nubecula  
est, quod in Urinæ parte superiore nubeculæ instar eminet.  
Quandoque tamen, ut z. Progn. t. 29. Nubeculæ appellatione  
sublimamentum Hippocr. intelligit.

Thef XVII.

Primò autem materia (de proxima verò & constitutive  
potissimum loquimur). Remotam enim partem excrementi-  
tiam, & ad nutriendum ineptam esculentorum & potulento-  
rum alibilium assumtorum suppeditare, nullum est dubium  
sedimenti maximopere apud Medicos controversa est, dum a-  
lli crudiorē chyli partem, alii humorem crudum & pituito-  
sum concoctionem in sanguinis generatione subterfugientem;  
alii succum ex pituitoso & melancholico mistum; alii denique  
urinæ partem crassiorem insiti caloris vi secretam atque in-  
imum depulsam illam ipsam judicant.

Thef XVIII.

Quamvis autem in tanta rei obscuritate, mentis & judicii  
nostrī imbecillitate, Authorumquè discrepantia per quam dif-  
ficile sit certi aliquid hīc determinare; tamen vero maximè  
consonum videtur statuere, sedimentum esse succum quen-  
dam secundæ concoctionis excrementitium, crudum, pituito-  
sum & crassiorem, à sanguine laudabili beneficio Naturæ se-  
junctum, atque cum urina à renibus attractum, insitiq; caloris  
vi secretum, atque in ejus imā depulsum.

Thef XIX.

Cæterūm sedimentum esse succum excrementitium no-  
tius est, quam ut demonstrari debeat. Quia alias si ad nutri-  
endum esset habilis, non à natura cum exrementis propelle-  
retur. Esse præterea crudum, testatur id, quod plerique Au-  
thor

thorum sedimentum statuant succum, qui sanguinis concoctionem subterfugerit. Et Galen. Comm. i. in Progn. Hippocr. t. 42. proximam sedimenti materiam designans ait: quicquid alimenti in sanguinis generatione naturæ confectionem eludit, in urinis postmodum subsidet. Præterea idem Galeni i. de Cris. 12. & ipsius experientiæ etiam testimonio confirmari potest. Siquidem videmus puerorum, hominum in otio degentium & crapulæ deditorum Urinas copiosam habere hypostasin, idque ob cruditates, quas voracitas in pueris & he luonibus, vita vero ignava in otiosis parit. In eorum contra Urinis, qui laboribus & inediis se macerant ac fatigant, parum subsidentiæ conspicitur. Pituitosam autem sapere eundem succum naturam, albus ipsius color docere videtur. De crassitie item testimonium perhibet visus, & ipsius locus conservatus & naturalis, qui fundum matulæ ferè attingit. Præterea sedimentum non minus ac ipsam urinam reliquam secundæ concoctionis excrementum statuimus. Licet enim pars illa chyli, quæ sedimento materiam præbitura est, jam eam in ventriculo atque primæ coctionis officina habuerit naturam, & ita fuerit disposita, ut neque in sanguinem perfectum, neque in partis alicujus nutrimentum abire potuerit; nihilominus tamen rationes supra thes. quartâ allatæ, pro demonstratione quod Urina sit secundæ concoctionis excrementum, etiam hic locum habent. Neque etiam illorum placet sententia, qui sedimentum inter tertiaræ coctionis excrementum referunt, & semicocti alimenti cum sanguine per venas & arterias delati, & ab eisdem caliditate innata, quodammodo, quoad colorē sc. & figuram, evicti & assimilati, sed postmodum ob ipsius ad nutriendum ineptitudinem ad renes & vias urinarias retro alegati aut attracti, demumque excreti, partem ac portionem esse autumant. Cum tamen hujus recursus nulla probabilis, multo minus sufficiens ratio dari queat. Atque ex sic dictis licet ~~urina~~ natura satis superque declarata videatur; nihilominus tamen & alia quædam circa hanc materiam dubia discutienda occurunt.

Thef. XX.

Quæ sunt namque nonnulli ulterius, num in omni tanto-  
rum urina contentum aliquod appareat? Ubi sciendum &  
ratione causæ materialis & efficientis vix aliter fieri posse.  
Siquidem haud verisimile reperi alimentum adeo laudabile  
& naturæ nostræ amicum, ut nihil excrementitii admixtum  
habeat: aut hominem adeo inculpatæ valetudinis & constan-  
tis roboris, qui omnem cruditatem effugeret, omnesque ali-  
menti partes elaborare queat. Ceterum etsi optimum con-  
tentum subsidere debeat, tamen cum sit magna sanitatis lati-  
tudo, neque omnes optimâ fruantur valetudine, cibisve lau-  
dabilibus utantur, aliquando loco hypostaseos enorema aut  
nubecula in sanorum quoquè Urinis adpareat. Sed de hac  
quæstione posteriori disputatione *h. d. i. l. S.*, ubi causas mul-  
titudinis seu copiæ contentorum dabimus, pluribus agere,  
occasio sese offret.

Thef. XXI.

Præterea & disquisitione digna quæstio est, num eadem  
scilicet sanorum & ægrorum *υρινώς* sit materia, cum alii  
affirmativam, alii vero negativam tueantur sententiam.  
Galenus certe i. de Differ. febr. c. 6. materiam putrescentem in  
febribus materiam sedimento præbere asserit, quem alii etiam  
sequuntur, idquæ pluribus rationibus probare contendunt.  
1. Ut enim, inquiunt, ex materia putrescente in inflammatio-  
nibus ab abscessibus pus album generatur: ita eodem modo ex  
materia intra yasa putrescente Natura superans sedimentum  
procreat. 2. Deinde, quia colores & alia accidentia in Urinis  
ægrorum & sanorum discrepant: dubio procul & contenta di-  
versa erant. 3. Si namque eadem essent, Medici ex contentis  
peccantium humorum naturam agnoscere non possent. 4. de-  
siquè cum in ægris humorum fiat conturbatio, impossibile vi-  
detur, eorum nihil lotius permisceri. Qui vero contraria opini-  
oni addicti sunt, his fecerunt argumentis utuntur. 1. Quia æ-  
groti æquè ac sani murriri debent. Si autem concoctio & nu-  
tritio, etiam excrements generabuntur, & hinc sedimentum.

XX. l. 17

2114 Proin-

Proinde etiam quamprimum in febribus acutis sedimentum  
apparet, indicat caloris & naturæ dominium, quæ putridos  
jam humores represserit & ad pristinas nunc munera functio-  
nes redeat. 2. Materia quin etiam morbifica longe tenuior,  
quam sedimenti, alias per sudorem expelli non posse. 3. De-  
num sedimentum non esse partem putrescentis humoris vel  
color indicat. Hic enim plerumque biliosus & flavus, sedi-  
mentum vero album. Neque generatio puris & sedimenti,  
ut prioris sententia. Authores volunt, eadem est ratio. Verissi-  
mè autem omnium illi sentire videntur, qui mediâ incedunt  
quasi viâ & utramquè opinionem conjungunt. Cum enim uti  
dictum, ægri nutriantur, etiam superfluum quid in ijs colligi  
necessè est. Interim nec hoc negandum, sedimento scilicet huic  
quâdoq; in ægis alios vitiosos misceri humores, imò hos ipsos  
solos materiam sedimento præbere, quia quin id fiat nihil pro-  
hibet. Et si sedimentum nihil humorum febrim excitantium  
habet, unde nunc flavus, nunc ruber alijsvè ipsi præternatura-  
lis color? aut quomodo hoc vellillud præsigum ex contento  
tali desumere possemus? Notandum etiam hic, quæ hactenus  
de sedimento disputata sunt, ea omnia etiam ad Enæorema &  
nubeculam accommodari posse. Siquidem hæc non materia  
aut substantia, sed solum situs ratione inter se discrepant. Ve-  
rum de contentorum cùm Essentialium, cùm Accidentalium  
differentiis in secundo Disputationis membro prolixiores  
erimus.

### Thes. XXII.

Contenta autem Accidentalia, quæ supra thes. 15. vocavi-  
mus, multūm variant, rationeq; situs in duo vel tria distingui  
solent genera. Quædam namq; per summum urinæ innatant,  
suntq; numero quartuor: Corona, Spuma, Bullæ & Pinguedo;  
Quædam vero per medium urinæ volitant aut in imum de-  
scendunt, veluti sunt corpuscula farinacea, foliacea, furfura-  
cea, orobea, pilis filamentisvè similia. Item pituita cras-  
sior, semen, grumi sanguinis, pus, carunculæ, atenulæ, ver-



Thef. XXIII.

Corona nil aliud esse videtur, quam circulus superficiem Urinæ supremam ambiens, vel lumen aut umbra, per urinæ circumferentiam transiens, in ambitu Urinæ recepta. Non ineptè quis Coronam inter essentialium contentorum classem referet, cum semper fere etiam in sanorum urinis adpareat.

Thef. XXIV.

Spuma hic intelligitur spontanea, quæ citra fluxionis impetum, citraque lotii agitationem ipsi innatæ, estque nil aliud, nisi plures bullæ conjunctæ & complicatae. Bullæ vero sunt exiguae quasi vesiculae in Urinæ superficie apparentes.

Thef. XXV.

Per pinguedinem subaudienda ea, quæ summitati Urinæ innatæ, & telis aranorum non raro similis existit, Nonnunquam & veluti puncta ac guttae oleosæ in urinæ superficie innatae cernuntur.

Thef. XXVI.

Contenta vero reliqua quod attinet quæ scilicet præter naturam Urinæ permiscentur, quorumque thes. 22. meminimus, veluti sunt farinacea, crassiorum farinæ partium exactiorum molæ contritionem subterfugientium: foliacea seu laminea, squamarum: furfuracea furfurum: orobea ervi seu orobi faciem experimentia: item grumi sangvinis, pus, semen, filamenta, carunculæ, calculi, vermes & similia, de iis plura in sequenti, Deo volente, Disputatione proponemus;

Thef. XXVII.

Absoluto igitur primo præsentis οὐγῆτως membro; jam in secundo differentias urinarum, contentorumque breviter enarrare studebimus, non quidem omnes, sed præcipuas saltem, & ad præsag iendum maximè necessarias & utiles. Hæ autem cum admodum variæ & multiplices existant, in duo tamē per διχοτομίαν suprema possunt distingui genera. Simplices scilicet & compositas. Simplices desumuntur vel ab Urinæ liquore, vel à contentis. Compositæ vero sunt, quando simplices dictæ



dictæ Differentiæ diversimodè inter se conjunguntur aut  
compllicantur. De prioribus prius.

Thef. XXIX.

Urinæ cum non semper in omnibus ejusdem sint gene-  
ris, maxima in iis conspicitur diversitas. Ut autem ipsarum  
differentiæ simplices certo comprehendantur numero, duo  
in urinis consideranda veniunt. Ipse urinæ liquor, & quod  
liquori inhæret, & distinctam à liquore naturam habet, con-  
tentumque communiter vocatur. In liquore iterum spe-  
cienda Quantitas & Qualitas, sub Qualitate comprehenden-  
tes lœtii consistentiam, colorem, odorem, saporem. Hasce  
igitur ab ipso liquore deductas differentias jam ordine primò  
omnium recensēmus, consulto omittentes, quæ à causis,  
effectis & mingendi modo proveniunt, cum tales in præsa-  
giendo parum ponderis aut utilitatis habeant. Postmodum  
& ad contentorum differentias accedemus.

Thef. XXIX.

Differentiæ igitur à Liquoris quantitate sunt, quod uri-  
na alia copiosa, alia pauca, alia mediocris. Copiosa dicitur,  
quæ potus assumti aut aliás etiam naturaliter reddi solitam  
urinæ copiam excedit. Pauca, quæ contrario se habet mo-  
do. Mediocris, quæ medio se inter præcedentes habet modo,  
& potui proportionabiliter responderet.

Thef. XXX.

Ratione consistentiæ urina alia est clara, & perspicua  
externum lumen admittens & visum penetrare permittens.  
Alia turbida vel turbata & non diaphana. Harum dantur  
iterum plures differentiæ. Urina siquidem clara talis reddi-  
tur talisq; permanet, vel mingitur quidem clara sed postmo-  
dum turbatur. Ita etiam urina turbida vel talis excernitur  
talisk; permanet, quam vulgo confusam seu subjugalem no-  
minant, quod lotio jumentorum similis sit: vel turbida emit-  
titur & postea clara evadit. Immò quandoque urina clara  
profunditur, post turbatur & demum subsidentibus fecibus,  
iterum clarescit. Præterea ratione consistentiæ urina quo-

O

que

que dicitur tenuis, crassa vel mediocris. Urina tenuis est, quæ ferè ex aquosa & potulenta materia constat, serosi verò & salsi illius, quod in Epate & vasis magnis secernitur, vel etiam alterius humoris nihil aut parum admistum habet. Crassa verò contra, quæ multum serosæ, salsæ humiditatis, aut aliorum etiam humorum in primis crassorum admistum continet. Mediocris est, quæ tantum illius serosi excrementi aquosæ humiditati permistum obtinet, quantum ferè in naturali corporis constitutione admisceri solet. Ita etiam lixivium, quo minus salis continet, eò est tenuius: quo plus, eò crassius.

Thes. XXXI.

Notandum hic non semper & simpliciter eandem esse urinam tenuem, & claram, item turbidam & crassam, neque omnem urinam claram esse tenuem aut mediocrem, & è contrario omnem turbidam crassam, ut Valles. 3. Contr. c. 23. contendit, suamq; sententiam etiam ex Galeni & Hippocr. decreto defendere studet. Contrarium namq; sensus & experientia docet. Siquidem clarum est, quod perspicuum est: turbidum verò, prout hic potissimum accipitur, quod visus penetrare non potest. Præterea sæpissimè urinæ conspicieundæ offeruntur, quæ à mediocritate ad crassitatem non parum declinant, & tamen claræ & perspicuae existunt, id quod inter alias, hydropicorum crassæ & rubræ urinæ non raro testantur. Idem etiam in aliis rebus, ut in albumine, glutinæ piscium, vitro liquato, oleo, vino subnigro & similibus observare licet. Ita etiam fieri potest, ut heterogeneum, crassum & turbidum quid in pauca tamen quantitate urinæ admistum ipsius claritatem & perspicuitatem, citra tamen tenacitatis corruptionem, turbare queat. Quod ut & parum limi magnæ aquæ quantitati admistum probare potest. Tale autem *κράμα* & in corpore humano quandoque contingere quid est quod veteri? Quamvis interim urinam turbidam omnemq; visus penetrationem prohibentem (potest enim aliquando liquor aliquis esse aliquantum turbidus & tamen dia-

diaphanus ut vinum seu aqua turbida) & si nul tenuem non nisi raro admodum dari hand invitus ipse fateat. Hippocr. quoq; & Galenus, si non semper, tamen aliquando has urinas inter se distinxerunt, ut apud illum 3. Epid. Comm. 3. t. 72. & hunc 3. Epid. Comm. 1. t. 5 videre est. De hac Controversia Sennertus quoqne noster b. an. consuli potest 3. Instit. p. 1. S. 3. c. 2.

### Thef. XXXII.

Colorum qui in Urinis differentias constituunt, alii Extremi, alii Medii. Extremi duo: Albus & Niger: Medii plures, horumq; omnes varios habent gradus. Verum de singulis sigillatim. Alba urina vel intensæ est albedinis, ut crystallina, nivea, aquæ; vel remissæ, ut lactea, (quamvis lactea urina mihi magis quam aquæ albore videatur) glauca, cornu pellucidum referens &  $\chi\alpha\epsilon\gamma\pi$  pilis subalbidis camelli similis, seu cæsia. Licet sint qui dubitent, glaucum & cæsum colorem Urinis rectè attribui, cum proprii oculorum sint. Post albam ad flavissem vergens est subpallida, vel subspicea, quam sequitur pallida, seu spicea. Hanc flavitie superat subrufa, subfulva, seu citrina (& hæc omnium temperatissima habetur) & adhuc magis russa, fulva seu aurea flammeavè, qualis color in igne clare lucente & ardente apparet. Magis adhuc flavescit, seu ad rubrum vergit subflava aut subcrocea, & intensius hæc flava seu crocea; huic q; proximè est subrubra, Galeno Palmea dicta, & deniq; huic rubra, qualis color cerasorum, balaustrorum, sanguinis &c. Ad nigredinem aliquantum tendit urina vinea, quæ vini intensè rubri & quasi subnigricantis colorem obtinet. Cognata huic est urina passæa, quæ mustum ad tertias decoctum seu ex uvis sole siccatis in area aut sarmento torrefactis eductum colore exprimit. Fusca verò urina colorem medium inter album & nigrum obtinet. Huic succedit viridis & hinc oleacea, oleum colore referens: Hanc verò sequitur livida seu plumbea, in qua color niger ad album dupli rationem habet. Agmen verò omnium claudit Urina nigra.

C 2

Thef.

64P



Thef. XXXIII.

Differentiæ ab odoribus sumtæ sunt, quod urina alia moderate & naturaliter oleat, alia nil oleat, alia verò nimis oleat, & quidem vel malè vel bene, licet odoris svavitas vix ab urina speranda sit, nisi aliunde ei concilietur. A terebinth. sumpta violarum odorem repræsentare dicitur. Ego ab ejus frequentiore & diuturniore usu, terebinthina non violarum odorem in urina manifesto deprehendi.

Thef. XXXIV.

Demum licet Urinæ ob seri admixtionem omnes natura-  
liter salsæ esse debeant; tamen ob causas præternaturales  
quandoq; alium quoq; saporem præ se ferre possunt. Ita  
ægra quædam, quæ nescio cuius consilio suam hausit urinam  
saporem dulcem potius quam saltem in ea se deprehendisse  
mihi retulit. Erant autem illius mulieris urinæ tum tem-  
poris albæ, crudæ & aquosæ. Hinc etiam à sero salfedinem  
suam habere lotium conjecturare ticeat. Cæterum quamvis  
ab Arabibus Urinarum differentiæ à saporibus desumptæ, sint  
traditæ: tamen urinam degustare, præter Medici dignitatem  
est, ut ut à Σωμολόχοις Medici Uropotæ calumnientur. Cu-  
pedias namq; hasce aliis relinquimus.

Thef. XXXV.

Hactenus enarratæ simplices Urinarum Differentiæ, si  
jam inter se conjungantur aut complicentur, compositæ ex-  
inde emergunt. Idq; autem variis & quasi innumeris fieri  
potest modis. Vel scilicet quoad quantitatem & qualitates,  
ut v. gr. urina copiosa vel pauca cum urina crassa vel tenui,  
alba vel rubra &c, aut quoad qualitates inter se, ut v. g. urina  
alba & tenuis, crassa & nigra, flava & bene vel malè odorata.  
Verum has omnes sigillatim enarrare operæ pretium non vi-  
detur. Sufficiat hîc quæ circa hanc materiam dubia occur-  
runt annotasse.

Thef. XXXVI.

In specie autem hic quæri solet, num dari possit urina  
nigra & tenuis. Affirmativam videtur comprobare Hippocr.  
quia

quia 3. Epid. plures recenset ægros, qui nigras & simul tenues  
habuere urinas. Et 4. de rat. vici. in acut. t. 50. ait.: Urinæ  
crassiores pallidioresq; meliores: tenuiores verò & nigriores  
magis pernitiosæ sunt. Probatur idem experientia & picto-  
rum documento: Colores enim extremi & præcipue qui ad  
nigredinem accedunt etiam in minima quantitate multum  
tingunt, adeò ut si in vas aliquod satis magnum aqua plenum  
pauxillum atramenti injiciatur, tota aqua colore nigro infi-  
citur, etsi non crassescat. Ergò etiam ater humor urinæ per-  
mixtus ipsam colore nigro citra crassitiem tingere poterit.  
Excellentissimus Sennertus qui contrarium defendere cona-  
tur ad rationes modo propositas ita responderet. Primò etsi  
quod de coloribus aquæ permisisti dictum negari nequeat,  
dubium tamen esse, num datur in corpore humorcs atram-  
menti instar atri. Et licet darentur, tamen non statim seque-  
retur, ipsorum exiguum portionem mox totam urinam tin-  
gendi vim habere. Neque enim omne atrum tingendi alia  
vim habet. Exigua siquidem pars atramenti aquæ infusa  
nigredinem patit, quod tamen carbones citra sufficientem  
quantitatem quæ & crassitiem inducent admitti præstare  
haud valent. Ad Authoritatem verò Hippocr. responden-  
dum putat Sennertus ex Comm. Galen. in locum allegatum.  
Hippocr. sc. ibid. per urinas crassiores non intellexisse sim-  
pliciter tales, sed quæ tenuibus non vero mediocribus sunt  
crassiores. Verum parcant mihi Sennerti Magni manes, cum  
Experientia testetur, nigerrimos quandoq; in corpore repe-  
riri humores, talesq; aliquando per alvum aut vomitum ex-  
cerni, neque ratio sit cur non & horum aliqui atro colore tin-  
gere queant: non video cur à priori sententia recedendum  
sit. Imprimis cum ipsâ Experienciâ rerum omnium Magi-  
stra edocitus, urinas nigras & simul tenues semel atque iterum  
in pueri atque muliere cachexia seu leucophlegmatia & sca-  
bie laborantibus viderim. Exemplum de carbonibus à Sen-  
nerto adductum huc non satis apposité, quod pace tanti Viri  
dixerim, quadrat, quia hi ob suam substantiam aridam &

crassam in partes minimas ita dividi & cum liquore citra ejus crassitatem exacte misceri, ut atramentum aliave fluida seu liquida materia non possunt. Loca Hippocr. quod spectat, sum illorum Galenica interpretatio ita simpliciter sit admittenda, aut pro vera agnoscenda, haut præter rationem quis dubitare posset.

Thef. XXXVII.

Ulterius quæritur num urina crassa & simul subrufa conjungi queat. Vallesius id affirmans ita probat: Si urinæ crassæ & albæ portio flavæ bilis admisceatur, prohibit inde urina crassa & pallida: Si addatur plus bilis ex pallida subrufa fiet. Verum hic ita distingvendum. Urina alba duplice potest fieri modo, vel cum nihil ejus aquosæ materiæ miscetur, quod eandem tingat, ita ut aqueum colorem retineat, illi si tantillum bilis ex Veterum, vel seri ex quorundam Recentiorum sententia, permisceatur, evadet quidem pallida sed manebit interim tenuis: si vero tanta hujus vel ipsius copia illi jungatur, ut inde fiat crassa, etiam colorem pallido intensiorem consequetur illa urina alba ex permistione humoris albi, huic si aliquid bilis vel seri adusti postea immisceatur, negari non potest illam pallido tingi colore.

Thef. XXXVIII.

Deinde respectu contentorum etiam plurimæ urinarum differentiæ occurunt. Et quidem ratione Essentialium, (vid. supr. thef. 15. 16. & 22.) Urina habet vel sedimentum, vel Enæorema, vel Nubeculam. Ratione quantitatis contentum est vel multum, vel paucum, vel mediocre, vel planè nulum. Ratione Consistentiæ; aliud tenue, aliud crassum, aliud moderatum. Ratione Figuræ; aliud leve, aliud asperum; aliud continuum, aliud divulsum; aliud æquale, aliud inæquale. Ratione coloris, aliud album, pallidum, flavum, rubrum, lividum, nigrum &c. Immò eadem ferè differentiæ, quæ in ipsius urinæ liquore, quoad colores, hinc reperiuntur.

Thef.

Theſ. XXXIX.

Contenta autem accidentalia in superioribus à nobis denominata, non minus quoque quoad quantitatem, conſiſtentiam, colorem & reliqua varia ac multiplices, ſubeunt differentias: ſic corona alia lata, alia angusta: alia cratæ, alia tenuis: alia alba, ſpicea, flava, rubra, livida &c. Spuma nunc eſt multa, nunc paucā, magnis vel parvis bullis conſtañs; diu autem minus diu perfeverans. Bullarum differentiae deducuntur à quantitate continua; hinc alia magnæ, alia parvæ, alia mediæ: à quantitate discrete, vel multæ vel paucæ; à duratione, vel diu durant, vel brevi rumpuntur; à ſitu vel loco; alia in media urinæ ſuperficie, alia in extremitate ejusdem apparent: à colore; alia albæ, pallidæ, rubræ, virides &c. à modo coniunctionis; alia contiguae; alia diſpersæ. Reliqua verò contenta & quidem maximè præternaturalia, ut pinguedo, pituita, ſangvis, pus, carunculae, corpuscula furfuracea, vermes, arenulæ, filamenta & ſimilia, multum quoque ſitu, copia, magnitudine, colore & reliquis accidentibus differunt. Noratu dignum eſt, quod Galenus 4 aph. 76. annotatum reliquit; ſeſcili-  
cet vidisse quendam, qui pilos & corpora tam longa mingebat, quæ dimidium æquabat cubitum. Ita & Gvili Fabric. Cent. 5. Obs. 50. meminit, cujusdam viduæ, quæ cum urina nunc ſangvinolenta, nunc purulenta, nunc turbida pilos quamplurimos rufos & oblongos, non ſine maximo dolore quotidie excrenebat. Historias plures τριχίας concer-  
nentes habet Schenckius lib. 3. Sect. 2. Observ. 194. Wierus 3.  
de præstig. dœm. c. i r. mentionem facit cujusdam, quæ præ-  
ter pilos & alia monſtrosa, lanam & fila longa, alba dupli-  
ca, in ſtare orum quibus utuntur vefſarii, & quod fideſi fu-  
perat, ſæpe cum nodo ac ſi ad uſum conſuendi aptata  
fuiffent, per urinam excrevit. Sed hic Dispu-  
tationis finis eſto.

SOLI DEO GLORIA.






Solertiſimo

DN. RESPONDENTI,  
Fautori Amico.

**I**nſpicis Urinas, BUCKISI, mente ; nec inde  
Fatorem maculasvè trahis. bonus eſt odor ex re  
Qualibet ingenii celeris ſperandus & artis.  
Nil olet hic quidquam teſtam fullonis avari,  
In mediis quæ fracta viis ; ſed fordinibus expers  
Spiritus, ac tangi metuens, ſublimibus alis  
Se librat, penitasq; per ambulat undiq; causas.

Macte tua virtute puer! Sic pergere perge,  
Quam calcas hucusq; viam. Sic perpetuabit  
Nomen honosq; tuus, Physicæq; deinde profundus  
Atq; Meditrinæ celebraberis Urinator.

M. Samuel Pomarius.



SON DEO GLORIA

94 A B 78



f

sb.

107

Okt 1999






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-569876-p0028-3

DFG

**Farbkarte #13**



DEO TRIN-UNO Duce!  
DISPUTATIO  
PHYSICO-MEDICA  
PRIOR  
*DE*  
**URINIS.**  
*Quam*  
In Illustri VVittebergensi Academia.  
SUB PRÆSIDIO  
*Viri Excellētissimi atque Experientissimi*  
**DN. MARCI BANZERI AU-**  
**GUSTANI MED. DOCT. P. P. & FACULT.**  
SENIOR. & p. t. DECANI SPECTABILIS,  
Dn. Hofpitis, Præceptoris atque Promotoris sui omni obser-  
vantia ætatem suspiciendi.  
*placide suūtō subjicit*  
**CHRISTIANUS BUCKISIUS**  
Carnoviā Silesius.  
*AD D. XX. Octobr.*  
*H. L. Q. C.*  
—  
*WITTEBERGÆ.*  
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. XLIX.